

122

OBSERVANTIÆ  
PRIMITIÆ,  
*Quas*  
VIRO  
GENERO SO, PERMAGNIFICO,  
*Et Perquam STRENVO,*  
DOMINO,  
DN. ANDREÆ  
BORCKMANNO,  
PRÆ-CONSULI SENIORI  
meritisimo, &c. &c.

Cùm  
PROTO-SCHOLARCHA

inclytus

A. MDCCVIII. XII. Calend. April.

solenniter crearetur,

animo promptissimo

publicè consecrat

JOHANNES ERNESTUS SCHRÖDERUS,  
R. S. C.

---

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,  
ATHEN. TYPOGR.



MAGNE VIR, eximio Generis splendore corusce,  
Virtutum radiis splendide, major Avis.  
MAGNE VIR, ingentes animos natalibus  
æquans  
Nobilibus, meritis nobilitate tuis.  
MAGNE VIR, insignis famâ, quem Nomen & Omen  
Nobilitat, mentis nobiliusque decus.  
Non revocare libet magnarum exordia rerum,  
Nec licet, ætatis præmia digna tuæ.  
Id moles, humeris major, prohibere videtur,  
Hoc vetat ipse metus, continuusque labor.  
Conatum dignum pueri, juvenisque, virique,  
Et senis, exemplis plurima fata probant.  
Vivida transacta est tantâ cum laude juventus,  
Ut famæ cum annis cresceret auctus honos.  
Neve peregrinos fugit rarissima Virtus,  
Gavisa est multis extera terra bonis.  
Magnus amor natalis humi post lustra reduxit  
Te, Fulcrum Patriæ, quæ decus omne vovet.  
Flamma recens surgit, serpit, vincique repugnat,  
Et renuit vanâ mole favilla premi.  
Sic tua fama volat totam veneranda per urbem,  
Sic populo dotes enituere tuæ.  
Nec latuit Patres Patriæ clarissima Virtus,  
Pendere quam justâ qui ratione sciunt.  
Illi, experturi vires, Tibi tale dedere  
Officium, multos quod decorare valet.  
Hoc requirebat doctrinam Munus & usum,  
Inprimisque fidem, quæ sine labo manet.  
Nec spes Primores de te concepta fefellit,  
Quin potius vicit nescia sensa capi.  
Penè labor solers reliquos præclusit Honores,  
Dum Te majoren vix reperire licet.  
Parco gravis meriti seriem narrare verendam,  
Quod cives, populi, curia, regna, canunt.

Sed

Sed sors, quæ magnis meritis obstatre volebat,  
Pensavit celeri dexteritate moram,  
Spe siquidem citius, Gedanum quos novit Honores,  
Gustasti læto pectore, fronte gravi.  
Scandisti demum supremum culmen Honorum,  
Quod dudum potuit fama merere Tibi.  
Dum videt Urbs, sonuit jucundis plausibus omnis,  
Ac spe lætitiæ gratia major erat.  
Et simul illa Virum poscebant tempora, magnâ  
Qui tot nesciret cedere mente malis.  
Mens horret casus, non vult meminisse tremoris,  
Atque metus omnis dememinisse cupit.  
Tunc animos tantâ firmasti mole viriles,  
Exsuperans fortem, fata, pericla, metum.  
Laus tua succrevit dignissima talibus ausis,  
De te speratam Curia sensit opem.  
Decrevit tumidis audacia perdita, tantam  
Virtutem stupuit, contremuitque fidem.  
**PRÆ-CONSUL** Patriæ dum justâ voce crearis,  
Gratabar paucis versibus ipse Tibi.  
Non indulgebant multos ærumna dolorque,  
Corporis ac animi debilitata salus.  
Vixque movebatur funesto turbine quisquam,  
Gaudebant plures ludere sœpè probris.  
Nec tamen officii neglecta hinc cura remansit,  
Tractatum semper quod fuit absque probro.  
Et **DEUS** innocuam respexit denique mentem,  
Restituit vires, sustulit omne malum.  
Huic insperatæ sit gloria summa salutis,  
Submissæ grates, quas mea lingva capit.  
Majores pariter, quòd, **PROTO-SCHOLARCHA** vocaris  
Dum meritus dudum, plura vovere licet.  
**PRÆ-CONSUL SENIOR** consuevit munere tanto  
Solus honorari, sicuti scita ferunt.  
Sit felix hic grandis Honos, cui gloria rara est,  
Qui Procerum paucos haccine sorte beat.

Hic

Hic latus laudum campus patet usque tuarum,  
Et meritum debet jam resonare Chelys.  
Laudibus at cunctis major dum penè videris,  
Penna timet laudes tangere pressa novas.  
Prætereà magno præconia pectore spernis,  
Qui cumulus summus laudibus esse solet.  
Da veniam, malim quòd res reticere canendas,  
Quàm satis haud famam concelebrare tuam.  
Vive, vige, flore! Canos fortuna coronet  
Exoptata, salus Te beet atque decor!  
Sis Musis Fautor, Columen sis grande Scholarum,  
Quæ poscunt celerem sæpè volentis opem.  
Si qui sint morbi, morbis dignare mederi,  
Neve nega medicam fructiferamve manum.  
Audi, quas justas scis, miti fronte querelas,  
Molem, si quando deprimat, ipse leva.  
Ærumnam miserare gravem, solare labores,  
Sisyphium saxum pendere ritè jube.  
Provehe, qui digni sunt, & discerne merentes,  
Integritate pares dilige, cinge, fove.  
Præside Te perstet Splendorque Salusque Scholarum,  
Præside Te paveant Zoilus atque Theon.  
Præside Te pereant obstacula, jurgia cessent,  
Et maneat salvum jure cuique Suum.  
Præside Te lucri frænetur iniqua libido,  
Non sua, sola Scholæ commoda quisque velit.  
Præside Te Musæ, Charites, & Apollo, triumphent,  
Præside Te doctis sit venerandus honor.  
Præside Te vireat pax, & concordia regnet,  
Præside Te Regnum crescat ovetque D E I.

